

1.23.4

*Imp. Constantinus A. ad Lusitanos.*

Si qua beneficia personalia sine die et consule fuerint deprehensa, auctoritate careant.

*D. VII k. Aug. Savariae Probiano et Iuliano cons.* [a. 322]

1.23.5

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. ad Nicetium praefectum annonae.*

Sacrilegii instar est divinis super quibuscumque administrationibus vel dignitatibus promulgandis obviare beneficiis.

*D. k. Febr. Mediolani Arcadio A. et Bautone cons.* [a. 385]

1.23.6

*Imp. Leo A. Hilariano magistro officiorum et patricio.*

Sacri adfatus, quoscumque nostrae mansuetudinis in quacumque parte paginarum scripserit auctoritas, non alio vultu penitus aut colore, nisi purpurea tantummodo scriptione illustrentur, scilicet ut cocti muricis et triti conchylii ardore signentur: eaque tantummodo fas sit proferri et dici rescripta in quibuscumque iudiciis, quae in chartis sive membranis subnotatio nostrae subscriptionis impresserit.

¶ Hanc autem sacri encausti confectionem nulli sit licitum aut concessum habere aut quaerere aut a quoquam sperare: eo videlicet, qui hoc adgressus fuerit tyrannico spiritu, post proscriptionem bonorum omnium capitali non immerito poena plectendo.

*D. VI k. April. Iordane et Severo cons.* [a. 470]